DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VOLATILI ET FIXO.
Sanitatis humanæ Conservativo, Destructivo & Restaurativo,

Quam
D. O. M. A.
Autoritate & jussu inclytæ Facultatis Medicæ
IN ILLUSTRI ACADEMIA HASSO-SCHAUMB.
Sub PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi, Excellentissimi & Experientissimi

DN. CONRADI JOHRENII,
Philos. & Med. U. Doct. Physiolog. & Patholog.
Profess. Publ. Ord. celeberrimi, & p. t. DECANI,
Patroni ac Fautoris sui jugiter deveneraudi,

PRO LICENTIA
Summos in Medicina Honores vel Doctoris Gradum
legitimè impetrandi,
Publico Excellentiss. DNN. Profess. aliorumque Eruditorum disquisitioni submittit

M. JOHANNES ELERS,
Neoburgo-Lynæburg.

Ad d. Octobr. Anno MDCLXXVIII.

RINTHELII,
Excudebat G. C. Wächter/ Acad. Typogr.

A. + Ω.

Præfatio ad Lectorem.

VAstissimum Medicinæ Oceanum jam, jam ingresso si L. B. tot opinionum differentium fluctus terrorem, vel, ut veriùs dicam, desperabundas planè ejusmodi cogitationes incuterent, se nunquam ad exoptatum portum delatum iri, sanè non esset mirum. Vt Principiorum ac Humorum saltim divergium in scenam producam, quot quæso de iis sententiæ, quæ tyronem miserum ancipitem detinebunt, circumferuntur ? Alium quippe audit Elementorum, Qualitatum primarum, Humorumque quaterniones statuminare, alium verò hæc salsè ridendo, & relollacea germina pronunciando, ex decantato illo Hermeticorum Ternario, Sale, Sulphure & Mercurio omnia deducere ; hunc Acidum & Phalajam, illum Acidum & Alcali, istum primi, secundi & tertii Elementi particulas crepare ; rursum alium tanquam pro aris & focis defendere Duumviratum, alium Triumviratum. Vt volumina veterum ac recentiorum plusquam sesquipedalia, herbis & verbis, remediorum processibus ac formulis referta, & sexcenta alia, partim de Vniversali, de particularibus partim medicamentis prætermittam, controversis collisionibus, & subtilioribus tricis in infinitum

ferè involuta ; unde vix solidi quicquam sibi polliceri posset Apollinis castris non ita pridem emancipatus, nisi aliunde tot horrendis difficultatibus emergendi inopinatò ac divinitus sæpe copia ipsi concederetur. Vt tenuitatis meæ exemplo hoc mihi stabilire liceat, ingenuè fateor , me Duce DEO prædictos Medicinæ scopulos quadantenùs tandem superâsse, intimiori scilicet opinionum & controversiarum praxi maximè applicabilium consideratione, earundemque , quantum fieri potuit, harmonicâ conciliatione & admissione, dubiarum verò vel incertarum ad tempus suspensione, ac manifestè falsarum & inutilium omnimodâ rejectione ; fideliter monente Clariss. Ammanno Medicin. critic. præfat. de Syncretism. Medic. Deinceps ad id unicè semper collineavi, ut ex præceptoribus vivis ac mutis, item ex manuali experientia hausta sive ad statum fabricæ humanæ naturalem, h. e. Physiologiam ; sive ad præternaturalem, h. e. Pathologiam ; sive ad medicamentorum, & ad eorundem facultatem atque applicationem dextram pertinentium cognitionem, h. e. Pharmaceuticam rationalem, & sic tandem ad præstantissimum Medicinæ finem, i. e. praxin, transportatum irem. Quod præsenti specimine inaugurali de Volatili & Fixo, profectò non alieno, sed proprio Marte, ex Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Academia Hasso-Schaumburgica indultu pro Licentia summos in Medicina capessendi honores, conscripto comprobare volui, ostendendo (demonstrata nimirum materiæ substratæ Onomatologia & existentia) in machina humana deprehendi naturaliter Volatile & Fixum conservativum ; præternaturaliter verò Volatile & Fixum destru-

ſtructivum ; & quomodo denique ex repoſitorio Medicinali Volatile & Fixum reſtaurativum depromi, &, ad Volatile & Fixum deſtructivum corrigendum, ritè applicari poſſit. Quod quàm conſentaneum ſit eloquiis præmiſſis, penes peritiores judicium eſto, cujus æquitati (quæ thematis difficilioris, ne dicam rariuſculi, elaborationi forſan minus exaſciatæ aliquid condonabit) me ſubmittere nunquam detrectabo. Sed tempus eſt pandendi ipſa Diſputationis vela, quibus DEus in Trinitate Vnus gratiæ ac benedictionis ſuæ Favoniũ clementer inſpiret!

CAP. I.

DE VOLATILIS ET FIXI ONOMATOLOGIA ET EXISTENTIA.

§. I.

UT ut conſuetis Nominalium enodationibus inmorari mihi haud volupe fuiſſet, quò tædium lectori delicatulo exinde plerumque oriundum evitarem; nihilo tamen minùs ob Terminorum, quibus Thema præfixum implicatur, difficultatem & uſum (quæ non ubivis & cuivis ſunt obvia) Onomatologiam in limine paucis delibare, à ſcopo non erit alienum.

§. II. Etymon igitur τοῦ *Volatilis* ut ſiſtatur, deſcendere Τὸ *Volatile à volando*, nemo eſt, qui ignorat. Quod tamen hic loci non propriè (ſic enim viventibus alatis ſaltim tribui ſolet) ſed impropriè uſurpatur; adeoque *Volatile* in genere dicitur leviſſima quævis, & facilè ſurſum lata materia, vid. *Jonſon. Lexic. Chym. part. 2. p. m. 255.* Ex natura oppoſitorum hinc facili negotio colligitur τοῦ *Fixi* etymologia. *Fixum* quippe dicitur *à fi-*

gendo, locutione iterum impropriâ, ut ita in genere *Fixum* dicatur compactior & craſſior quævis materia, quæ non facilè ſurſum propelli ſeu elevari poteſt.

§. III. Homonymiam ſive varia τοῦ *Volatilis & Fixi* ſignificata quod attinet, tenendum eſt, quòd Medico-Chymicorum filii Terminos illos, *Volatile & Fixum*, primò tribuant *medicamentis* ex Triplici ſeu alterutro eorum Fonte petitis. Et ſic iterum *Volatile & Fixum* diverſimodè accipitur: Vel enim ſumitur pro medicamento, quod in ſe, & per examen Vulcani nondum probatum, particulis ſuis volatilibus vel fixis naturâ conſtat. Sic *aromatica* dicuntur per ſe pollere ſale & ſulphure volatili oleoſo, quo de odor ſatis teſtatur &c. Sic cornu cervi, ebur, &c. dicuntur per ſe etiam conſtare particulis volatilioribus, &c. Sic cinnabaris nativa, corallia, limatura martis cruda, &c. dicuntur in ſe fixa. De aliis, quæ compendii gratiâ hic omitto, idem eſt ſentiendum; ad quæ non ineptè quis referet *Enixa* & Fuſa ſive mediæ naturæ medicamenta, de quibus h. l. agere non eſt mei inſtituti. Vel ſumitur *Volatile & Fixum* pro medicamentis Volatilibus & fixis, quæ ignis calorem ac violentiam ſunt experta; atque ſic *Volatile* dicitur, quod vi caloris ſive ignis ita ſurſum eſt propulſum, ut avolare vel aufugere quaſi conatum fuerit. Hoc ſenſu *Volatile* dicitur, ſal volatile urinæ, C. C. &c. *Fixum* verò h. m. dicitur, quod calorem ſeu vehementiam ignis non reſpuit vel fugit, ſed in eo conſtantiam ſuam exeruit. Hoc ſignificatu ſalia plantarum v. g. abſinthii, arthemiſiæ &c. dicuntur fixa, utut aſſiduo labore & arte ad volatilitatem iterum redigi poſſint. In Chymicis enim id vocamus fixum, quod ignem non aufugit, vel quod diutiùs eum ſuſtinet, ſunt verba *Excellentiſ. Beccheri Oedip. Chimic. Tit. 3. p. m. 75.* Par ratio eſt Volatilium quorundam, quæ quamdiu per artificis manum fixitatem non ſubiêre, Volatilium titulo inſigniuntur. Volatilia autem quo pacto fixari poſſint, breviter propoſitum vid. apud *Jonſonum l. c. p. m. 115.* & alibi.

§. IV. Deinde uſus in Phyſico-Medicorum ſcholis obti-

nu-

quit, ut *animantibus vivis*, eorumque partibus quoque τῦ *Volatilis* & *Fixi* denominatio accommodetur. Sic particulæ quædam animalis, adeoque etiam hominis vivi, vel secundum, vel præter naturam volatiles, quædam verò fixæ dicuntur; quemadmodum in Disputationis hujus progressu hæc omnia clariùs elucescent.

§. V. Synonymiam ut breviter exhibeam, noto notius esse arbitror, τὸ *Volatile* aliàs etiam venire nomine *Subtilis*, *Puri*, *Abstracti*, *Mercurii*, *particularum tenuiorum*, *flexilium*, *fluidarum*, &c. Nec non τὸ *Fixum* nominibus suis synonymicis gaudet. Appellatur quippe aliàs *crassum*, *stabile*, *compactum*, *Solidum*, *angulatum*, &, ut quidam volunt, *lixiviosum*, &c. Et hæc de Onomatologia!

§. VI. Ad existentiam τῦ *Volatilis* & *Fixi* me accingo! Existere τὸ *Volatile*, quis ambiget? Dubitanti verò ditissimum Trium Regnorum gazophylacium erit referandum, & palmam veritati non denegabit. Regnum si introspicias Vegetabile, quot quæso thesauros volatiles emittit! Sale volatili (ut sulphura hic sileam volatilia) abundant plantæ acriores, antiscorbuticæ dictæ, item cephalicæ, & aliæ. Quot Volatilia dona è Regno animali nobis offeruntur! Ut animalia viva taceam, remedia sanè ex hoc thesaurario petita particulis volatilibus abundè sunt instructa. Sal volatile C. C. hîc nobis sit exemplum exemplorum! Illud enim licet benè munias, non æque semper retinetur, sed auras petit, rubellum post se relinquens colorem. Unde fixationes institutæ sunt variæ &c. inquit *accuratiss. Wedelius Tract. de Sale volat. cap. 3. p. m. 16. & Pharmac. in art. form. red. lib. 1. Sect. 4. cap. 7. p. m. 57.* Hinc *excellent. Francisc. de le Boe Sylvius ide. prax. lib. 4. p. m. 796.* existimat, præstare, si ejusmodi salia volatilia humidiore formâ, non siccâ parentur, aut humidis saltim & aquosis dissoluta serventur ad usum. Ex Regno Minerali etiamsi salium Volatilium parcior ad nos sit proventus Volatilitas tamen omnis ei non est deroganda, cùm Spiritus & Flores Minerales hinc inde prostent.

§. VII. Τὸ *Fixum* non minùs existere in laudato Triplici

me-

medicamentorum Regno, apud omnes procul dubio eſt in confeſſo. Vegetabile Regnum regalibus ſuis fixis nitere, vel Pharmacopolia hodie teſtari poſſunt, in quibus variarum plantarum ſalia fixa venalia præſentantur. Animale quidem Regnum, uti dictum, Volatilibus quàm maximè turget; attamen animalia pauco ſale fixo conſtare, quis ſanæ mentis in totum negabit? Minerale tandem Regnum tantæ eſt fixitatis, præſertim quoad Metalla, ut in hac cœtera multis paraſangis tranſcendere videatur, ideoque explicatione non indigeat uberiori.

§. VIII. Verùm ſi quis exiſtentiam τῦ *Volatilis & Fixi*, inſuper habitis in medium allatis rationibus, adhuc in dubium vocare auſit, illum ad Chymicorum Laboratoria, ignitos furnos, varii generis vaſa, inſtrumenta, atque operationes remitto; quibus non ſine jucunditate perſpectis, probandum me ſufficienter probatum dediſſe, ambabus manibus largietur.

§. IX. Hoc ut adhuc liquidius innoteſcat, ex infinitis unicum tantùm Chimicæ operationis exemplum apponam, quod exiſtentiam τῦ *Volatilis & Fixi* ex abundanti corroborabit. V. G. Recipe urinæ humanæ à vini potatoribus collectæ, & per B. M. ſeu coctione debitâ præparatæ q. ſ. infunde in cucurbitam vitream, impone alembicum, juncturis clauſis, ut moris eſt, ex arena deſtilla, ignis gradibus, & cæteris probè obſervatis. Sic tandem, poſt phlegma, *ſal volatile* in alembicum tranſcendens cryſtallorum inſtar conſpicies, quod niſi aliquoties novo impoſito alembico eidemque linteolis madidis externè applicatis, citra moram colligatur, mox liqueſcet & in forma Spiritus per roſtrum deſtillabit (*Vid. tract. Robert. Boylei de Fluidit. & Firmit. Sect. LVIII. p. m. 83.*) Reſiduum autem in fundo *ſal fixum* continet, quod ex remanentibus poſtmodum more conſueto extrahi poteſt. Plura quidem id generis alia argumenta ſuppeterent, ſed brevitati litaturus, eadem alii occaſioni reſervo. Progredior igitur ad

CA-

CAP. II.

DE VOLATILI ET FIXO CONSERVATIVO SEU NATURALI.

§. I.

MElioris doctrinæ gratiâ hic utique ex Physiologicis supponi potest, corpus humanum vivum machinæ instar constructum esse, h. e. ex partibus sensibilibus & insensibilibus, ita ut, si partes ejus legitimè sint dispositæ, machina microcosmica in esse sanitatis conservetur, vel dicatur sana, quemadmodum in Colleg. Mscr. Physiolog. me quondam docuit Excellentiss. Dn. Præses.

§. II. Partes autem istæ sunt vel Volatiles vel Fixæ; Volatiles si in statu naturali sunt constitutæ, commodè appellantur *Volatile conservativum*; Fixæ verò in eodem statu *Fixi conservativi* appellationem non incommodè sortiuntur. Hinc utrumque hic erit definiendum seu describendum.

§. III. *Volatile igitur conservativum est pars machinæ humanæ, agilitatem & mobilitatem, secundum naturam eidem inesse debitam, immediatè concilians, ad conservandam sanitatem.*

§. IV. Dicitur in descriptione, quod *Volatile conservativum* sit *pars*; ad totam enim corporis humani structuram componendam & conservandam volatile illud concurrit. Pars autem est vel sensibilis, vel insensibilis: Hæc absolutè & per se in sensus præcisè non incurrit, licet ex effectu & respectivè ad alias, quæ ordinariè in sensus incurrere solent, cognoscatur. Illa, sive pars sensibilis, absolutè & primariò in sensus incurrit, estque ex mul-

tis insensibilibus composita. Quando jam in descriptione dicitur, quod Volatile conservativum sit pars, à sensibili videtur præscindendum esse. Dicitur porrò, quod Volatile conservativum sit pars *machinæ humanæ*; nam de brutorum fabrica hic non sum præcisè solicitus, cùm totus Disputationis hujus nervus ad sanitatem humanam saltim intendatur, quod indicat Titulus eidem præfixus.

§. V. An verò talismodi partes volatiles, quæ volatile conservativum s. n. constituant, in corporis humani machina reverà dentur, disquiri potest? Verùm hoc extra omnem dubitationis aleam positum esse, nôrunt illi, qui has vel illas corporis humani partes ad incudem Chimiæ debite revocarunt. Cranium saltim humanam quantam quæso volatilitatem in forma salis repræsentat! Idem statuendum de sanguine, de urina, de secundinis, imò ipsis excrementis. Urina continet alcali volatile, sic sudor, sanguis, caro, ossa &c. quodlibet juxta virtutem loco innatam, inquit *Doctiss. Tachenius Hippocrat. Chimic. cap. XI. p. m. 64.* confer *Du Hamel Tract. de consens. vet. & nov. Philos. lib. 4. cap. 4. p. 503.* Debebat siquidem in animalibus, adeoque etiam in homine, ad motum expeditiorem, actionesque reliquas, activius & mercuriale principium longè majori vigore, quam in mero vegetabili, esse conspicuum. Hinc quoque animalia (quorum gregi in hoc passu & homo est accensendus) plurimis particulis volatilibus dotata esse, omnium saniorum calculo est comprobatum.

§. VI. Et sanè objectio quorundam, ac si particulæ animalis volatiles igni potiùs, cujus vi in operando eliciuntur, quàm insito principio, essent adscribendæ, parum in recessu habet, ac jam pridem est explosa. Fac enim periculum cum partibus volatili suo per nimiam putredinem vel dissipationem destitutis, & centies igni submitte, nil nisi fixum aliquod, seu terram emortuam reportabis.

§. VII. Sed & aliud probationis fundamentum, partes volatiles conservativas in machina humana reperiri, status illius præternaturalis suppeditabit. Etenim qui morbidam microcosmi

mi conditionem penitiùs paulò confiderabit, deprehendet in eo ingentem affectuum & ſymptomatum catervam, ex defectu partium volatilium natam, quæ, niſi in tempore illam convenientibus remediis proſternas, ut particularum volatilium diſpendium reſarciatur, vitæ finem eidem certò eſt illatura. In conſtitutione igitur fabricæ noſtræ naturali quidni partes volatiles, quæ *volatile conſervativum* nuncupari queunt, reperias.

§. VIII. Non minoris indaginis quæſtio h. l. ſe offert, quomodo nimirum tot particulæ volatiles in machinâ noſtrâ humanâ producantur? Ut hic de aſtrali influxu & rebus non naturalibus ſingulis non dicam, haud malè â primo conceptionis ſeu generationis puncto volatilis conſervativi productio videtur arceſſenda. Subſcribe enim vel Peripateticorum ſententiæ, fœtum produci ex ſemine maris & fœminæ, vel Neotericorum opinioni, hominem generari ex ovo, quod ex ovario fœminæ per tubam in uterum prolapſum ſemine virili conſpergatur, & ſic, in fœcundationem & fermentationem transeundo, omnium partium delineamenta fieri, atque indies magis ac magis à ſanguine augeri, & incorporari; ſanè non poteris non derivare ab ipſo generationis principio Volatile conſervativum, quod progreſſu temporis adaugetur in ipſo uteri materni hoſpitio, donec fœtus in lucem prodeat, & ex lacte materno primùm, deinceps ex aliis quoque alimentis, vel ex cibi & potus partibus ſpirituoſioribus ac ſubtilioribus conſervationi ſuæ ſufficientes particulas volatiles viis ordinariis adſciſcat. Confer, ſi lubet, *Excell. Diemerbrock. Anatom. corp. hum. lib. 1. cap. XXVII. & ſeq. per integrum.* Ubi hæc res aliis quidem verbis, ſatis tamen accuratè inculcatur.

§. IX. Ex hiſce jam quæſtio fluit: Quo pacto ſcilicet particulæ volatiles ex aſſumto cibo ac potu eliciantur, & ſingulis machinæ humanæ organis communicentur? Quæſitum hoc ut penitiùs evolvatur, notandum eſt, alimenta, quibus nutrimur, multas quaſi in ſinu fovere particulas volatiles, quæ, quamprimum eſt facta ſolutio, cum chylo ad loca deſtinata devehuntur. Sive jam cum veteribus dicas, cibum per œſophagum ad ventri-

culum detrusum calore ejus concoqui ; sive cum Paracelsistis, Archeum cum suis mechanicis spiritibus chylificationem in ventriculo perficere, sive cum Tachenio, Acidum ventriculi imprimere cibis virtutem ad chylificandum & alimentandum ; sive cum aliis dicas, in ventriculo cibis fermentum admisceri, ut spirituosæ in iis delitescentes particulæ attenuentur & suscitentur, perinde ut farinæ aquâ tepidâ subactæ admisceri solet fermentum, ut particulæ frumenti crassiores ac spirituosiores seu volatiliores dissolvantur ac disterminentur &c. Sive rursus cum aliis recentioribus statuas, fermentum in ventriculo contentum instar aquæ fortis cibum ore præparatum dissolvere, & in minutissimas particulas redigere : Hoc tamen firmo stabit talo, particulas cibi ventriculi menstruo soluti volatiles unà cum chylo ad intestina per venas lacteas, & sic ulterius ad cor, tandemque per totam corporis compagem transportari.

§. X. Chylum verò particularum volatilium vehiculum esse, inter cætera color ejus subalbicans seu lacteus arguit. Ex volatili enim ciborum & acido ventriculi commistis albidus ille chyli color resultat ; perinde ut liquor sulphure ac sale volatili, aut optimè dissoluto sale imprægnatus ilico lactescit, si humor aliquis acidus affundatur. Exemplo sit sp. C. C. vel fuliginis, qui humori acido additus lactescit. Verùm si hoc nondum satisfacit, perpende quæso, annon cibus vix assumtus esurientem esuriendoque languentem ita statim reficiat, ut in toto corpore refocillationem insignem oppidò animadvertat ? Cuinam, verò hoc tribuendum sit nisi particulis alimentorum volatilioribus ac spirituosioribus tribuatur, ego profectò non assequor? Legi hanc in rem meretur *accuratiss. Takius Chrysog.* in specie ubi de volatili panis nostri alimentaris agit.

§. XI. His ita demonstratis, *sanguinis*, succi utilissimi ac nobilissimi , particulas magnam partem volatili conservativo gaudere, ne demireris. Idem namque ipsius rubedo satis adstruit, quæ non tam cordis contactui, quàm digestioni, salium volatilium cum partibus sulphureis permistioni & conjunctioni

tri-

tribuenda videtur. Arte Chymicâ solâ digestione, rerumque diversarum commistione similem producere possumus colorem. Sal volatile si misceamus cum oleis,& digeramus, tinctum quoque habebimus in rubrum colorem. Quid mirum igitur, si salia chyli volatilia & partes oleaginosæ coctione exaltatæ purpureum nanciscantur colorem? Vide præter *B. Mœbium & D. Diemerbrock Nobiliss. D. Tilingii, Med. D. & P.P. ordinar. in Academ. Rintel. primar. Archiatr. Hass. & S. R. I. Academ. curios. Zephyr. Patroni mei summè devenerandi Tract. de Vase brevi lienis p. m. 558.* Præterea, ut *seri* subtilitatem silentii peplo involvam, *spiritus vitalis* subtilissima illa sanguinis pars, summam ejus subtilitatem indicat, quæ si abesset, merus cruor relinqueretur.

§. XII. Nec mirum, hinc reliquos quoque Humores inter alia particulis volatilioribus pollere. Sic *Bili* admistum esse spiritus volatilis aliquid, agnoscet, quisquis non tantùm nervos satis grandes viderit ad hepar deductos, sed insuper ipsam cognoverit rebus quibusvis facilè admisceri, quod non fieret, nisi permistus ei esset notabili qualitate spiritus volatilis, Vid. *Excellentiss. Sylvii Ide prax. lib. 1. cap. 46. p. m. 800.* Sic *Succum pancreaticum* constituens pars primaria videtur spiritus esse subacidus, spiritu volatili præsertim temperatus. Conf. *idem ibidem cap. X. p. m. 95.* Sic *salivæ* pars potissima licet aqua meritò statuatur, non est tamen illa, quæ chyli secessum maximè promovet, ast contemperatus in ipsa per spiritum volatilem tum spiritus acidus, tum sal lixivus, inquit *accuratiss. Sylvius loc. cit.* Et creta dignum est, quod supra citatus *D. Diemerbr. Anat. corp. hum. lib. 3. cap. XXIV. p. 741.* existimat, salivam Mercurium quendam esse humoralem. Nec non *lympham* liquorem fermentaceum ex serosa sanguinis parte in glandulis conglobatis separatum, non tamen simplicem, sed multo sale fuso ac volatili perfusum, vid. *l. c. lib. 1. p. 108.*

§. XIII. Pari ratione & cæteræ solidiores machinæ humanæ partes Volatili conservativo constant. Sic *musculos* qui attentè pensitaverit, ultrò fatebitur, iisdem particulas volatiles

inesse, cùm, præter sanguinem spirituosum, eos ingredientem, per *nervos* quoque, musculosam carnem hinc inde perreptantes, influant *spiritus animales*, quos cum ipsis tubulis seu canalibus, per quos fluunt, volatilioris naturæ esse, nemo est, qui dubitabit. Vid. *Willis. Tract. de Fermentat. cap. 5. p. 18.* Verùm nec *Ossa* particulis volatilibus sunt vacua. Dicis: Sunt durioris ac tartareæ naturæ. Ergò non sunt penetrabilia, neque particulis volatilibus prædita. Respondetur, notum est, quid sagaciores ad hoc reponant Anatomici; scilicet spiritus & particulas volatiles ad periostea, & sic deinceps per exiles nervos ac poros ad interiora usque ingredi, iterumq; ad periostea ex parte remeare. Acutè & compendiose hæc omnia exprimit *insignis ille Physiognomus D. Helvetius*, quando *Diribitor. Medic. cap. 16. p. m. 105.* scribit: *Spiritualissimam oleosissimamque sanguinis vim cerebrum tanquam spongia trahit* (excipit, loquere ut lubet) *illiusque ope per musculos, partes nervosas, earumque membranearum lympham* (sit bonus interpres) *ossiumque medullam fermentando confortat ac nutrit.* Ex quibus omnibus per pronam consequentiam fluit, non solùm chylum & sanguinem, sed cæteras quoque machinæ humanæ partes volatili suo conservativo pro naturali sua exigentia dotatas esse.

§. XIV. Cæterùm ut è diverticulo ad viam redeam, in definitione Volatilis conservativi dicitur, *agilitatem & mobilitatem secundum naturam eidem inesse debitam immediatè concilians, &c.* Ubi sciendum, particulas volatiles in concilianda machinæ humanæ agilitate & mobilitate ita subordinatas esse, ut, una vel altera, inprimis principaliori ac nobiliori deficiente, munere suo vix ritè fungi queant. Sic v. g. paralyticus licet sanguinem carnem, ossa &c. volatilioribus particulis prædita habeat in parte affecta, absente tamen spirituum animalium volatili ceu parte nobiliori, agilitas ac mobilitas secundum naturam inesse debita ipsi non inest.

§. XV. Notanter verò additur particula *immediatè*, ut significetur, ex alio quoque vel extrinseco imperativo, vel intrinse-

ſeco directivo principio ſuperiori agilitatem & mobilitatem in homine contingere poſſe. Sic v. g. herus ſervo ſuo agilitatem & motum, & anima rationalis vi voluntatis organis corporeis activitatis actus imperare poteſt ; ubi tamen particulas volatiles intervenire neceſſe eſt , adeoque hoc pacto machinæ humanæ non immediatè , ſed mediatè ſaltim agilitas ac motus conciliatur. Quando verò verba illa reſtrictiva annectuntur : *Eidem ſecundum naturam ineſſe debitam &c.* ſenſus eſt, quod præter naturam quoque (ut ſuo loco oſtendetur) agilitas & mobilitas organis corporis humani obvenire poſſint ; unde tamen ad præſentiam Volatilis conſervativi ſeu naturalis N. V. C.

§. XVI. E contra quando agilitas & mobilitas machinæ humanæ ſecundum naturam ineſſe debita immediatè conciliatur , haud incongrue ad τὸ *Volatile conſervativum* argumentari licet ; & ubi hoc, ibi non poteſt non ſequi agilitas & mobilitas machinæ humanæ. Objicis 1. partes fixiores quoque concurrere ad motum exercendum. Ergò iisdem etiam conciliatio agilitatis eſt adſcribenda. Sed Reſp. diſtinguendo inter *motum & mobilitatem*, ad illum licet concurrant particulæ fixiores quadantenus, ad hanc tamen non item. Deinceps ſi vel maximè hîc particulis fixis aliquid ſecundariò & per accidens tribueretur, primò tamen & per ſe totum activitatis negotium eſt adſcribendum particulis volatilioribus. Objicis 2. Pulſus cordis & arteriarum ſyſtole & diaſtole conſtans (quibus *Excellentiſſ. Bartholinus* periſyſtolen addit *Anatom. reformat. l. 2. cap. 6. p. m. 371.*) motum efficit. Ergò mobilitas non ſemper particulis volatilioribus eſt tribuenda. Reſp. Rem accuratiori animi lance trutinanti innoteſcet, pulſum cordis & arteriarum cum agilitate & motu, quem ſanguinis volatilitas naturalis machinæ humanæ conciliat, reapſe unum eundemque eſſe. Et ſane qui citrâ præconceptas opiniones univerſum ſanguificationis opus examinabit, diffiteri non poterit, volatilitatem & ſubtilitatem nobis in primo generationis momento à naturâ conceſſam, & indies auctam, atque poſtmodum cum novis ex aſſumto alimento parti-

cu-

culis volatilibus (quibus volatilitas per continuam agitationem dissipata subinde reficitur) conjunctam, summeque subtiliatam omnem in machina humana agilitatis ac mobilitatis fontem ac causam esse. Quæ mobilitas, seu activitas diversis saltim ejusdem organis, iisdemque insito diverso fermento diversimodè modificatur. Addo, quòd ipse circulatorius sanguinis motus ab Harveo detectus, particulis volatilibus multum juvetur, sive cum *Excellentiss. D. Bartholino (vid. Anatom. reformat. p. m. 590. & seq.)* venarum & arteriarum anastomoses, sive cum *Greydano (vid. Instit. Physic. lib. 9. c. 9. p. m. 269. & seq.)* porositates partium saltim admittas, adeoque vel per has, vel per illas sanguinem circulari dicas.

§. XVII. Ultimis tandem descriptionis traditæ verbis finis denotatur, dum dicitur : *Ad conservandam sanitatem.* Qui finis tamen, positis particulis volatilioribus naturaliter constitutis, inadæquatè saltim obtinetur. Nam fixiores quoque particulas ad sanitatem adæquatè consequendam necessariò concurrere, ex sequenti *Fixi conservativi* descriptione manifestum erit.

§. XVIII. Describitur itaque *Fixum conservativum*, quòd sit *pars machinæ humanæ, à qua soliditas sive stabilitas & consistentia, eidem naturaliter inesse debita, proximè dependet, ad sanitatis humanæ conservationem.*

§. XIX. Singula descriptionis hujus membra cùm ex iis, quæ circa Volatilis conservativi exegesin monui, non sint obscura, paucis saltim eadem percurram. Dicitur, quod *Fixum conservativum* sit pars; ubi videtur iterum abstrahendum esse à parte sensibili & insensibili. Dicitur quòd *Fixum conservativum* sit pars *machinæ humanæ.* Hic notandum venit, quod pari ratione cum Volatili conservativo producatur Fixum conservativum, scilicet per modum generationis ac nutritionis. Adeoque utrumque in conatum & adscititium non impertinenter distinguitur. Confer ea, quæ superius de generatione & nutritione sunt proposita. Dicitur porrò, quòd *soliditas seu stabilitas & consistentia dependeat inde proxime.* Sicuti enim agilitas & mobilitas primò

& im-

& immediatè particulis volatilibus, sic consistentia & stabilitas particulis fixioribus primò & proximè est adscribenda. Hæ namque dum volatiliores particulas magis ac magis implicant & quasi incarcerant, soliditatem primò ac proximè producunt.

§. XX. Dicitur in definitione: A qua soliditas &c. *naturaliter eidem inesse debita proximè dependet, &c.* Quo ipso aliæ adjuvantes & remotiores soliditatis ac consistentiæ causæ, si quæ sunt, non excluduntur. Restrictio autem illa, *naturaliter inesse debita*, hoc vult, quòd præternaturaliter quoque consistentia in fabrica humana oriri possit, v. g. quando è sanguine extravasato & stagnante tumores præternaturales, & alia consistentiæ vitia proveniunt &c. attamen hæc consistentia non est naturaliter inesse debita.

§. XXI. Modum, quo particulæ fixæ soliditatem ac consistentiam machinæ humanæ conferunt, si scire desideras, breviter sic habeto: Ventriculi digestione, succique bilearis & pancreatici, concurrente suo modo pituita, effervescentia peractis, non modo sulphureæ, sed salsæ etiam particulæ in chylo remanent, quæ tamen commxitione mutuâ paulatim magis resolvuntur. Et licet in corde, accedente effervescentiâ vitali, particulæ illæ denuò attenuentur, adhuc tamen quædam particulæ fixiores relinquuntur, ita ut ante, quàm spiritus animales ex sanguine generari possunt, novâ quoque separatione, pro ipsius consistentia ac nutrimento, sit opus. Si hoc, quidni & reliquæ sanguinis adscendere inepti particulæ, hinc ad reliquas corporis partes defluentes fixiorum nomine venire debeant? Quarum beneficio tum ipsi sanguini, tum aliis machinæ nostræ partibus per diversam inter se & cum volatilibus conglutinationem & copulam diversimoda stabilitas ac consistentia conciliatur. Ut ut multas quoque particulas fixas cum volatilibus per circulationem ad cor reverti, atque rursus quodammodo volatilisari, ambabus concedam.

§. XXII. Dicitur tandem in allata descriptione: *Ad sanitatis humanæ conservationem.* Et hic, positâ soliditate ac consistentiâ, finem inadæquatè saltim insinuari, quis non advertit?

Cùm ad sanitatem adæquatè conservandam & agilitas & stabilitas requiratur. Judicet jam, quisquis judicare potest, annon quatuor illa decantata hominis Temperamenta magnam partem ex diversimoda illa particularum volatilium & fixarum crasi ac dispositione originem trahant? Verùm subtilioribus ingeniis hoc excutiendum relinquo, & brevitatis amans, pergo ad

CAP. III.

DE

VOLATILI ET FIXO DESTRUCTIVO SEU PRÆTERNATURALI.

§. I.

Quemadmodum ex legitima seu naturali particularum tum volatilium tum fixarum dispositione sanitatis conservatio; sic ex earundem præternaturali constitutione in œconomia corporis humani affectus sive morbi varii consequuntur. Atque tum particulæ volatiles & fixæ commodè obtinent nomen *destructivi*. Hoc sensu proinde Volatile & Fixum hic erit describendum.

§. II. Hinc *Volatile destructivum nihil aliud est, quam nimia & inordinata particularum in machina humana agilitas & mobilitas, ex nimia rarefactione & attenuatione orta.*

§. III. Dicitur *Volatile destructivum*, quia talismodi Volatile machinam humanam quasi destruit & diruit, si non totaliter semper, ad minimum tamen secundum quid & partialiter. Dicitur, quod volatile destructivum sit *nimia & inordinata particularum in machina humana agilitas & mobilitas.* Sic v.gr. particulæ sanguinis, bilis, succi pancreatici, salivæ, lymphæ, spiritu-

um vitalium & animalium nimis agiles & inordinatè mobiles esse possunt. Dicitur: *Ex nimia rarefactione & attenuatione ortæ.* Quibus verbis causa nimiæ & inordinatæ agilitatis ac mobilitatis subinnuitur proxima. Nam si particulæ sanguinis salsæ, sulphureæ, & mercuriales nimis resolvuntur vel attenuantur, tum in corde nimium dilatatur sanguis nimiumque acres, fervidi ac turbulenti Humores & spiritus generantur; unde ingens non solùm nimis dilutarum, sed & inflammatoriarum, acutarumque febrilium, quin & Epilepticarum, aliarumve agilitatum inordinatarum lerna procedit.

§. IV. Quapropter si saliva & fermentum stomachi spiritu nimis volatili abundant, alimenta in ventriculo nimis fermentantur, atque agiliori chyli secretioni ansa præbetur. Si sanguis & cæteri Humores nimis sunt volatiles ac spirituascentes, Archei Helmontiani furor, febres pestilentiales, acutæ, ac petechiales, Phrenitis, mania, rabies, dolor capitis punctorius ac tensivus, angina, ophtalmia, peripneumonia, pleuritis, cholera, flatus, ructus, diarrhœa, dysenteria, fluxus hepaticus, hæmorrhagia, hæmorrhoidum & mensium nimius fluxus, icterus, & id generis alia mala exoriuntur, Humoribus tamen interdum solitariè, interdum junctim incendentibus quasi malorum faces. Si spiritus nimium sunt agiles & inordinati, motus Epileptici, vertiginosi, & convulsivi alii promanant.

§. V. Quæris, unde volatilitas illa excessiva, tot agilitatum præternaturalium radix, in sanguine, cæterisque Humoribus, ac spiritibus, proficiscatur? Ad quæsitum hoc ut distinctè respondeatur, tenendum, hic vel ad τὸ θεῖον & supernaturale, vel ad inferius & mere naturale esse recurrendum. Illud stabiliunt verba Jehovæ: Si non audiveritis me, constituam super vos febrem, pestilentiam &c. Hoc sive rationes merè naturales quod concernit, ex variis illæ erunt hauriendæ scatebris. Sunt, qui ex astris, & speciatim, ex maligna planetarum inter se & cum zodiacis conjunctione easdem petendas esse censent. Vid. *Robert. Fludd. Myster. morb. Medicin. Catholic. Tom. 1. Tract. 2. sect. 1. part. 3. lib. 1.*

cap. 3. & seqq. Idem *Quercetanus* non obscurè innuit *Tetrad. graviss. tot. cap. affect. cap. 5. p. m. 44. & seqq.* Helmontius quoque hic suum confert symbolum, nisi quòd more consueto in explicatione ab aliis secedat, vid. *Tract. Astra necessitant. item Blas humanum &c.* Quicquid sit de autorum allegatorum aliorumque sententiâ, lunæ saltim diversus positus, seu ejusdem phasis diversa in Epilepticis quid efficere possit, lippis & tonsoribus est notissimum. Quod *Kircherus* accuratè demonstrat Experimento aquæ salinæ & nitrosæ â Lunæ radiis motæ, vid. *Mund. subterran. Lib. 3. Hydrographic. p. 130. seq.* Quin solis radios, quos à reliquis astris modò sic modo aliter infici & disponi posse, non videtur absonum, hic multum præstare, sensus nostri abundè testantur. Neque enim solùm, quæ cibo & potu sumuntur, vim habent mutandi corpora nostra, & novas ideas inferendi, verùm etiam ea, quæ corpori adjacent, radiatione magneticâ eadem afficiunt. Licet enim radii non permaneant, sunt tamen vehiculum idearum eo modo, quo lux, per quas Archeus iisdem assimilatur; eaque ratione ob illam analogiam, quam cum corporibus cœlestibus tum habent, pro hujus ratione mutantur. vid. *Joh. Marci Marci Philos. vet. restitut. part. 5. sect. 2. p. m. 562.* Consentit *Hermetis Trismegisti* illud: Quod est inferius, est sicut id quod est superius, & quod est superius, est sicut id, quod est inferius! Concordat *Paracelsus*, quando non solùm generatim distinguit inter Ens astri, Ens veneni, Ens naturæ, Ens spirituum, & Ens Dei, sed etiam quando speciatim *de Ente astrorum cap. 9.* scribit, plura venena in terris non existere, quam in astris. Hinc *autor anonymus introduct. in Philosoph. cap. 8.* *Cum constellatio*, inquit, *influentia seu impressio astralis ex cursu astrorum vel infelici positu & contrario motu astrorum seu aspectibus planetarum orta, & malevolæ stellæ fructuum resolutiones in aera dimiserint, alimentumque superioris sphæræ signaturis suis immutaverint, homines variis morbis obnoxii sunt, quorum regiones astra illa suis radiis feriunt, juxta proprietates astrorum venenatas.* Quibus sic stantibus, apparet, Volatilis destructivi originem astris eatenus deberi, quatenus

nus infausto eorum positu ac motu venenatæ proprietates in sublunaribus, hinc & in homine haud indispositо excitantur, naturalisque particularum constitutio perturbatur.

§. VI. Alii *Res*, in Medicorum lycæis *Non naturales* dictas, tantùm incusant, v. g. *Aerem, cibum & potum &c.* Quanta sit aeris necessitas, in genere ostendit *Hippocrates in lib. de flatib. vers.56.* dicens: *Spiritus necessitas mortalibus omnibus est tanta, ut quamvis aliis omnibus abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos vel tres ducere, si cui verò spirituum meatus, per quos in corpus ingrediuntur, intercipiantur, momento unius horæ moritur.* Cùm igitur aerem continuò per asperam arteriam in pulmones propelli necesse sit, ut nimia sanguinis rarefactio impediatur, & verò aer arsenicalibus & Realgaricis halitibus, hinc inde volitantibus, nonnunquam infectus (*vid. Febure Chymia cap. 1. p. m. 6.*) sanguinem nostrum inspirando ingrediatur, quid quæso aliud consequi potest, quam nimia sanguinis attenuatio & rarefactio, Volatilis destructivi generatrix? Quemadmodum enim ab aere puro ac nitroso inspirato sanguis noster in statu conservatur naturaliter coagulato; ita ab eodem impuro & arsenicali sanguis noster corrumpitur, & noxiam Humorum omnium agilitatem inducit.

§. VII. Nec non ex assumtis alimentis volatilitas particularum destructiva provenire potest. Taceo hic alimenta impuritatibus venenatis ac noxiis vel per impuras exhalationes, vel per alias veneficas aut malitiosas applicationes & propinationes coinquinata, & his mediantibus particularum legitimam dispositionem turbare solita: Hoc saltim urgeo, quòd alimenta aliàs salutaria nimiam quoque volatilitatem producere valeant. Spectant hoc alimenta facilioris fermentationis, item aromatica, acria & spirituosa nimirum usurpata, vina generosa ac spirituosa &c. quæ si nimis appetuntur, vel sanguinem & reliquos Humores nimis volatiles reddant, vel nimiam nutrimenti & particularum spirituosarum materiam præbent, unde, notante Hippocrate, non potest non instare periculum Habitus athletici seu

Plethoræ, multa incommoda, nisi in tempore solvatur, parientis. Omne enim nimium vertitur in vitium, ut proverbium tritissimum habet.

§. VIII. Sed & reliquas res non naturales inculpandas esse, quem fugit? Vigiliæ quippe nimium protractæ Humores ac spiritus acriores & volatiliores reddunt. Idem judicium de motu, item de Pathematum admissione, idemque de Excretis & Retentis normam naturalem haud servantibus, est ferendum. De *Bilis*, quam cæterorum Humorum volatilitas mox comitatur, fluiditate ac volatilitate destructivâ, ex rebus non naturalibus progerminante in compendio ita infert sæpe citatus *acutissimus Sylvius Ide. prax. Medic. lib. 1. cap. 18. p. m. 210. & seq.* Majore quantitate admiscetur Bilis sanguini, quando eadem *copiosior generatur* in suo folliculo, *ex alimentis aromaticis & sale volatili* abundantibus copiosius usurpatis; vel *copiosius effunditur* è sua vesicula propter *fluiditatem majorem* ipsi conciliatam vel ab *aeris æstu*, vel ab *alimentis* tum acrioribus tum *spirituosis*, vel à *potenti corporis motu*, vel ab *ira vehementi*, vel à *vigiliis*, & similibus. Eodem ferè modo *salivæ, fermenti, succi pancreatici, lymphæ, & spirituum animalium* volatiliorum causas explicat *l. c. cap. 7. p. m. 56. cap. 19. p. m. 238. cap. 46. p. m. 822. item lib. 2. cap. 20. &c.* Verba formaliter ad nauseam non adscribam, legi possunt locis allegatis. Si igitur Humores nimis volatiles facti adhuc inter se invicem, vel cum fixioribus, vel etiam cum fermento parti alicui insito congrediuntur, nimia exoritur effervescentia, nimia particularum rarefactio, & nimia tum sanguinis tum spirituum agilitas, conturbatio, ac mobilitas; quæ tanta sæpe sæpies est, ut ab uno ad plures homines adstantes particulæ illæ volatiles per effluvium migrent, e. g. in febribus acutis ac malignis; quæ migratio *contagium* vulgò audit.

§. IX. Imò ad prolem etiam particulæ volatiles morbidæ commigrare possunt per propagationem, ad seram aliquando posteritatem; quod hæreditarii illi affectus v. g. Epilepsia & mania satis confirmant, quique cum aliis hæreditariis morbis

fixi-

fixioribus v. g. podagra, calculo &c. notabili archealium & idealium morborum denominatione Helmontio ejusque asseclis venire solent. Dicis: Epilepsia vel Mania ad sobolem transplantata rarò vires suas volatiles exerit statim post nativitatem, subinde verò certis annorum periodis quasi maturata. Ergò illorum affectuum natura non in volatili consistit, multò minus ut volatile propagatur. Resp. Distinguendo inter affectuum illorum fomitem idealem, & symptomata consequentia. Licet ipse fomes idealis interdum certi temporis maturationem requirat, inde tamen non sequitur, eundem non esse naturæ volatilis, neque propagari ut volatile, cùm maturatio illa quoad rem nihil aliud esse videatur, quàm particularum volatilium idealium propagatarum à fixioribus hactenus intricatarum progressu temporis facta evolutio ac solutio, ut horrenda & deploranda illorum morborum symptomata, volatilitatem abundè testantia, in aprico existant. Elegantissimè hoc deducit Helmontius in Tract. de Morb. Archealib. N. 15. subsequentibus verbis: *Morbi hæreditarii inolescunt fœtui ab Ente morboso. Idea nimirum spiritui seminali impressa (cùm sit ipse morbus, adhuc in vita prima seminis delitescens & sigillatus) adhuc dormit, & sui maturitatem expectat, donec expergefactus ab Archei agitatione prorumpensque producta sua parere sit apta.* Utrum verò hunc nodum tibi ita solvere libeat, ut dicas, hosce & similes affectus, supra volatilium, & inferius fixiorum catalogo expressos, prout magis vel minus de Volatili & Fixo destructivo participant, esse enixæ seu mediæ naturæ, tibi rigerosè non refragabor: Modò Volatilitas & Fixitas, sicubi iisdem competit, ipsis non denegetur. Vel distingue, si lubet, inter causam & symptomata; item inter causam proximam & remotam, primariam & secundariam, solitariam & sociam &c. atque distinctiones illas rite ac sobrie applicato, & sane dubia hinc inde suborta nullo negotio decides. Quæ cum ita sint, ad Fixum destructivum nunc erit festinandum.

§. X. Describo illud hoc modo: *Fixum destructivum est particularum, tam volatilium quam fixarum, ad legitimam machinæ hu-*

humanæ dispositionem naturaliter concurrentium motus interceptus seu impeditus, ex debita rarefactionis & attenuationis defectu.

§. XI. Dico *Fixum destructivum*; in hoc enim cum volatili destructivo pari ambulat passu, quod fabricam humanam vel partialiter vel totaliter destruere possit. Dico: *Est particularum tam volatilium quam fixarum, ad legitimam machinæ humanæ dispositionem naturaliter concurrentium &c.* Quomodo particulæ volatiles & fixæ ad dispositionem machinæ humanæ naturaliter concurrant, in capite antecedente pluribus monstratum fuit, quod videatur. Dico: *Motus interceptus seu impeditus &c.* Subintellige: Si non omnium, quarundam tamen, & ad motum naturaliter absolvendum necessariarum particularum. Inquis: Unde fluit illa interceptio? Respondetur in reliquis descriptionis verbis: *Ex debitæ rarefactionis & attenuationis defectu.* Quando enim debita particularum rarefactio & attenuatio cessat, cessabit earundem quoque motus connaturalis, sufflaminabitur materiæ æthereæ ac subtilis motus ordinarius, & agilitas particularum naturalis in statum crassiorem & fixiorem præternaturalem degenerabit; unde sanguis viscidus & glutinosus, viscida saliva, viscidum fermentum, chylum coagulans, & in venis lacteis stagnare faciens, hinc viscida lympha, viscida Bilis & Pituita, imò ipsi spiritus tardiores & obtusiores progenerantur.

§.XII. Hunc proinde particularum motum interceptum ingens morborum chronicorum & fixiorum caterva stante insequitur pede. Febres nimirum chronicæ, Quartana, Hectica, cachexia, scorbutus, obstructiones, Hypochondriaca, Dolor capitis gravativus, Melancholia, Lethargus, Apoplexia, Paralysis, Gutta serena, suffusio, Unguis, Pannus, Nubeculæ oculorum, Tumores scirrosi, ulcera quædam, Fistulæ, Phtisis, Asthma, lues venerea, Arthritis, Podagra, Chiragra, Hydrops, lepra, Ischuria, stranguria &c. Quorum affectuum quidam Bili glutinosiori, quidam acido, quidam Pituitæ & lymphæ, quidam Humoribus combinatis seu conjugatis viscidioribus & fixioribus sunt imputandi, quod in Systematibus Medicinæ prolixiùs inculcatur, hic verò

re-

repetere nimis operosum foret. Superiùs tamen formatas distinctiones inter causam solitariam & sociam, principalem & minus principalem &c. hoc etiam loco attentè observasse non poenitebit.

§. XIII. Intercepti particularum motûs, seu attenuationis & rarefactionis deficientis scaturigo, unde tanta morborum fixiorum copia resultat, si rimanda erit, iterum ad supernaturale partim, partim ad naturale erit confugiendum. De supernaturali vide supra allatum Jehovæ dictum; naturale quod attinet, illud iterum vel ex astris, vel ex sublunaribus, & Rebus non-naturalibus est derivandum. Astris quid tribuendum sit, in superioribus prolixiori filo deductum fuit. Quin ipse *Hippocrates in libb. Epidemior.* intempestivas & immoderatas siderum resolutiones multis circumstantiis descripsit, qui hîc quoque consulendus. Conf. *auctor anonym. introd. in vital. Philos. cap. 7.* An verò aliàs influentiæ superiorum & inferiorum conjunctæ ipsum mundi seu Universi spiritum constituant, qui universalis appellatur, quatenus indeterminatè agit; particularis autem & insitus, quatenus determinatè influit, adeoque pro diversa impraegnatione bonum vel sinistrum effectum producit, anxiè inquirere ac dijudicare non est hujus loci. *Vid. D. Sebast.* Wirdig/ *Medicin. spirit. lib. 1. c. 26. p. 174. & seqq. item D. David* von der *Beck, Experim. circ. nat. rer. princ. p. 308. & seqq. ac alii.*

§. XIV. Res non naturales quid h. l. conferant, paucis est ostendendum. Sunt illæ: Aer, cibus & Potus &c. Saluberrimum esse omnibus hominibus, optimum in pulmones aerem inspirari, ut puri ex eo generentur spiritus, uti pestilentissimum, noxio aere uti, testatur *Galenus 1. de tuend. sanit.* Si itaque aer nebulis, stagnantium aquarum aut paludum halitu ac foetore, pluviâ multâ, ventis continuis Borealibus & Occidentalibus est inquinatus, quid eodem fruentibus aliud, quàm sanguinem crassum, Bilem glutinosam, ac pituitam seu lympham viscidiorem dispensabit?

§. XV. Sic alimenta qualitate & quantitate peccare,

eundemque fructum proferre possunt, v. gr. alimenta non satis spirituosa, vel pauciori quantitate assumta, quam par est, pinguiora, ut sunt juscula opima, carnes obesiores &c. Item Visc[i]diora, subaudi frequentius sumta, vel labore in fermentando haud facilitata, e. g. carnes sale conditæ & infumatæ, extrema animalium, ut sunt capita & pedes: olerum, item fructuum immaturorum v. g. pomorum, pyror. mespil. castanear. &c. nimia ingurgitatio. Pertinet huc potus nimis aquosus & gelidus, minus fermentatus & acidior &c. quibus immodicè usurpatis sanguis nimis congelatur & coagulatur.

§. XVI. Nec meliora ex somno multo, corporis quiete & segnitie, Animi metu ac mœrore gravi, tardaque plerorumq; Excrementorum Excretione sperare licet. Quod operosè ostenderem, nisi brevitati vota nuncupassem.

§. XVII. Coronidis loco subnecto, quòd, sicut medicamenta volatiliora v. g. purgantia, emetica &c. nimis sumta nimiam volatilitatem; ita etiam remedia incrassantia diutiùs usurpata, vel in affectibus à glutinositate Humorum ortis non satis potentia, nec satis diu incidentia & attenuantia adhibita Fixum destructivum vel nimiam Humorum ac spirituum fixitatem post se relinquunt. Vid. *Excellentiss. Sylvii Ide. Med. lib. 1. cap. 34 p. m. 580.* Quibus & hoc caput de Volatili & Fixo destructivo abrumpo. Sequitur.

CAP. IV.

DE

VOLATILI ET FIXO RESTAURATIVO SEU MEDICINALI.

§. I.

Sicu-

Sicuti, aliis machinis vitiatis, ante omnia de convenientibus reparationis mediis soliciti sumus, ita quoque machinâ humanâ per Volatile vel Fixum destructivum depravatâ, remediorum restaurativorum investigatio nos non immeritò solicitos habet. Fas igitur erit, Volatilium & Fixorum medicamentorum fontes hic paulo altiùs indagare; hoc quidem ordine observato: Ut primò restaurativi tum Volatilis tum Fixi qualem qualem exhibeam descriptionem, utrique remediorum quorundam enumeratione subjectâ, deinceps applicationis seu curationis regulas, scopo meo accommodas subjungam. Noli autem turbari, si quando vel cum Paracelsistis in sale & sulphure, vel cum Helmontianis in Acido & Alcali Volatile & Fixum medicinale hinc inde ivero collocatum, cum hi Termini in Medicorum phrontisteriis hodiè adeò frequententur, ut non indigeant antecedaneâ declaratione.

§. II. *Volatile* igitur *restaurativum* ita describo, *quod sit medicamentum substantiæ subtilioris ac spirituosioris, balsamo suo penetrantiori ac celeriori in machina humana particularum dispositionem interruptam restituens.*

§. III. Dico: *Volatile restaurativum*; restaurat enim, Deo favente, nec alia circumstantia extraordinaria renitente, quicquid in fabrica humana est depravatum. Dico, *Est medicamentum*, ad *alimentorum* differentiam. Alimenta namque fermentationis facilioris seu spirituosa sanitatem & conservare, & restituendam coadjuvare nullum est dubium; utut dubitari possit, annon h. m. ipsum alimentum medicamenti vicem sustineat? Cum æquè ac medicamentum supponat corpus ægrum, eique dum medetur, in statum transferat meliorem.

§. IV. In descriptione porrò dicitur: *Substantiæ subtilioris ac spiritusioris &c.* Siquidem compedibus crassioribus & fixioribus vel actu est solutum, vel iisdem beneficio menstrui stomachici alteriusve solvi ac segregari potest. Quando autem dico: *Balsamo suo penetrantiori ac celeriori in machina humana particularum dispositionem interruptam restituens*, cave sis, me in ea

verſari opinione, ac ſi ſolum Volatile medicamentum ſanitatem reſtituat, cùm etiam Fixa, ut inferius docebitur, idem ſuo modo præſtent. Neque reor, Volatile deſtructivum per Volatile reſtaurativum ſemper, ſolùm, & præcisè reſtituendum eſſe; etenim & Fixa & Volatilia, experientiâ teſte, hic utramque paginam faciunt. Unde in deſcriptione notanter ſine *Volatilium* vel *Fixarum* addito dicitur: *Particularum diſpoſitionem interruptam reſtituens*. Et ut ſcias, quomodo *Volatile reſtaurativum* agat in reſtitutione diſpoſitionis interruptæ, dicitur: *Balſamo ſuo penetrantiori ac celeriori &c.* Medicamentum quippe Volatile vim habet particulas præternaturaliter conſtitutas accelerato quaſi ac penetrantiſſimo motu, interdum inſenſibiliter ferè, ad mediocritatem reducendi. Vid. *D. Borrich. Hermet. Vindic. cap. 5. p. 359.* Cuinam verò hoc magis adſcribendum, quàm Balſamo penetrantiori hinc & celeriori?

§. V. Ut igitur de naturâ *Volatilis reſtaurativi* dilucidius conſtet, medicamentorum quorundam volatilium uſitatiorum elenchum artexere non pigrabor, Trium tamen Regnorum, Vegetabilis ſcilicet, Animalis, ac Mineralis veſtigiis inſiſtendo. Et ne me actum agere velle arbitreris, eadem pleniori numero hic, quam ſupra cap. 1. factum, ſum recenſiturus, quod monendum erat.

§. VI. Ad Regnum Vegetabile quod attinet, ſanè non parcâ manu in eodem Volatilia medicamina præparantur. Nulla ferè eſt planta, nulla radix, quæ non magis vel minus Volatilia prodat ſub varia quidem formâ, videlicet Spiritûs, Tincturæ, Olei, Aquæ, ſalis, Aceti, &c. Sic datur *Spiritus* Vini, ſp. acinorum, ſp. cochleariæ, aniſi, calami aromat. carvi, cardamom. centaur. min. cort. c. citr. juniper. lilior. convall. menth. meliſſ. roriſmarin. roſar. ſambuc. ex bacc. & florib. ſic dantur *Tincturæ* aromaticæ, v. g. cinamomi, croci, N. M. Maceris &c. cum Sp. V. rectific. paratæ. Sic dantur *Olea* volatilia præſertim deſtillata ætherea. v. gr. Oleum carvi. abſinth. aneth. fœnic. angelic. aniſi, caryophyll. roriſmarin. cymin. majoran. mac. tanacet. rut. puleg. &c.

&c. Sic datur *acetum* destillatum, spiritum volatilem sibi admixtum habens, testante *Sylvio accuratiss. id. Prax. lib. 4. Tr. 2. p. m. 296.* Sic dantur *Aquæ* volatiles, præprimis quæ sunt efficacioris & aromatici odoris (quanquam *clariss. Tachenius Hippocr. Chymic. cap. 19. p. m. 147.* asserat, herbis aliàs insipidis quoque alcali volatile inesse, & fugitivum cum aquis destillare) talismodi est Aqua vit. Matthiol. Theriacal. &c. item Aq. cinamom. aqu. puleg. rosar. majoran. &c. quas de mercuriali seu volatili participare egregiè docet *acutiss. Wedelius in Pharmac. lib. 1. sect. 1. cap. 3. p. m. 70.* Ubi singularem insuper aquas, sale volatili prægnantes & fœtas destillandi modum, qui observationem meretur attentissimam, exhibet. Sic tandem *salium* quoque volatilium promum condum esse Regnum Vegetabile, operosè deducit jam laudatus *D. Wedelius in Tract. de sale volatili plantarum cap. 41. p. m. 22. & seqq.* Ubi solidè ostendit, dari sal volatile in plantis antiscorbuticis, ut sunt erysimum, arum, nasturtium omne, piperitis, raphanus rusticanus &c. Item in plantis cephalicis, ut sunt Majorana, rosmarinus, salvia, ruta, & similes. Et, insertâ distinctione inter sal volatile *patens* seu manifestum, & *latens* seu occultum, dicit: *Quis neget in medii quasi generis herbis, ut rosis, liliis, scordio, absynthio, aliisque idem reperiri & dari, licet, ut apparet, minori quantitate?* Sed nec insipidis planè & frigidis, volatilitatis honorem derogat, v. gr. gramini, papaveri, lactucæ &c. Quod argumentis sat ingeniosis, quæ brevitatis gratiâ transeo, roborat. Videantur l. c. ubi simul modus sal volatile ex plantis eliciendi traditur. Geminum huic est Experimentum illud novum peculiari Tractatu exhibitum, in quo antecedanea latiùs exponuntur, & quæ iis obstare videntur, acutè refelluntur.

§. VII. Spectant huc quoque alia salia volatilia, v. gr. sal Tartari cum Sp. vini volatile factum, quod Helmontius & alii cum eo pleno ore deprædicant. Vid. *Borrich. l. c.* Item sal volatile oleosum, quo Excellentiss. Sylvius nihil prius nihil posterius esse passim asseverat. In genere huc pertinent *aromatica omnia*, particulis volatilibus modo aereis, modò salinis, modò sulphu-

reis & oleosis, magis vel minus talibus gaudentia, e. g. *radices, herbæ & flores* fœniculi, pimpinell. ari, zingib. angelic. caryophyllat. majoran. salv. rut. rorismar. zedoar. calam. aromat. menth. meliss. origan. lavendul. lilior. convall. &c. item *semina, baccæ, & fructus* anisi, aneth. carv. cardamom. cubeb. macis, N. M. coriand. nigell. pœon. bacc. junip. laur. pip. sinap. Nec non *ligna* v. g. buxi, guajac. junip. sassafr. visc. coryl. quern. til. &c. *cortices* etiam, v. g. aurant. citr. granat. cinamom. &c. Imò ipsa *purgantia* vegetabilia, v. g. Rhabarb. Senn. Helleb. Agaric. Colocynth. Jalap. &c. huc referri possunt, cùm inter cætera agant irritando particulis suis acrioribus, quibus constant, salinis, magis vel minus volatilibus, cum sulphure conjunctis. Neque *vomitum moventia* vegetativa hic sunt excludenda, v. g. Asarum, sedum minus &c. hæc enim Humores magis ἄνω, cæteris paribus, protrudunt, quemadmodum purgantia magis κάτω ob sal volatile particulis fixioribus magis impeditum. Quòd si verò hæc & similia quis ad medicamenta enixa sen media referre velit, per me licet, modò volatilitas inexistens ipsis non detradatur.

§. VIII. Hic ὡς ἐν παρόδῳ primoribus saltim labris degustabo quæstionem illam; An Regnum Vegetabile suppeditet etiam salia volatilia lixiviosa? Resp. Si id tantùm sal lixivum seu lixiviosum dicitur, quod nudam supponit incinerationem & elixiviationem, res ipsa loquitur, iu Regno Vegetabili dari saltim sal lixiviosum fixum. Si verò id sal lixiviosum fixum, quod manu industrii & patientis, laboremque diu patienter continuandum non refugientis artificis, ac spiritûs volatilis ope est volatile factum, adhuc tum lixiviosum nuncupare allubescit, prono sequitur alveo, Regnum vegetabile suppeditare etiam salia volatilia lixiviosa. Sal autem lixivum & fixum volatile fieri posse, non solùm asserit *Excellentiss. Sylvius ide. prax. med. lib. 4. Tr. 10. p. m. 1121. & seq.* sed etiam hoc vel eo saltim non repugnat numine, quod ex mente *Doctiss. Tachenii Hippocrat. Chym. cap. 2. p. m. 10.* vegetabilia omnia à natura ne granum quidem salis fixi habeant, nisi incineratione illud acquirant, sed purum putum sal volatile possideant.

ant. Quidni igitur vi spiritûs volatilis particulæ volatiles, per incinerationem saltim fixatæ, artificiosè resuscitari queant? Cùm ipso meridiano sole clariùs constet, particulas volatiles, vel salia volatilia, fixorum salium, incineratione factorum materiam esse, suffragante David von der Beck *Experiment. circa natural. rer. princ. p. 103. & seq.*

§. IX. Regnum Animale divite cornu volatilia fundere medicamenta, jam tum supra *cap. I.* fuit dictum. Prodeunt autem illa vel sub forma aquæ, vel olei, vel spiritus, vel salis, vel essentiæ &c. Sub forma *aquæ* hic pauciora prostant, v. g. aq. capon. August. (quam Zwelf. tamen rejicit *Animadv. ad Pharm. Aug. p. 289.*) item aliæ aquæ vel ex integris animalibus, præsertim junioribus (*vid. Zwelf. append. ad animadv. p. 34. & seq.*), vel ex partibus eorum. Sic datur aqua C. C. hirundinum &c. Sub forma *olei* oleum ceræ, ex ovorum vitellis &c. atque suo modo huc pertinent pinguedines liquatæ omnes, olei formam æmulantes. Sub forma *spiritus* occurrunt sp. cranii humani, sp. C. C. lumbricor. terrestr. sp. formicar. seu Aq. magnanimitatis, sp. eboris, viperarum, urinæ &c. Sub forma *Essentiæ*, Essentia castorei &c. Sub forma *salis* quamplurima fortean prolicerentur, modò artificibus tot salium animalium genera ad palatum essent; omnia quippe animalia, omnesque eorundem partes sale volatili copioso pollent. Unde *Helmontius lib. de Lithias. cap. 3. th. 29.* de ossibus animalium combustis scribere nullus dubitat (salvum tamen sit aliorum judicium) ea nihil salis fixi retinere, sed tantùm terram insipidam residuam. Et *doctissimus Kunckelius in observationibus suis circa salia fixa & volatilia cap. 4.* existimat, multum negotii nacturum esse, qui ex integro bove incinerato, sepositis excrementis, salis fixi ℔j. vel ℔ij. prolicere vellet. Interim usitatiora animalium salia volatilia sunt sal volatile C. C. sal volatile urinæ, cranii humani, viperarum, lumbricorum, &c.

§. X. Minerale tandem Regnum quod concernit, & illud quædam Volatilia medicamenta largitur, vel in forma *Tin-*

ctura,

Ɛturæ, v. g. Tinct. corallorum legitimè præparata &c. vel in formâ *Florum*, v. gr. fl. Sulph. sal. ammon. Nitri à Mynsichto descripti *Armam. Chym. p. m. 26.* vel in forma *Olei*, e.g. oleum camphor. succin. petræ &c. vel sub forma *Spiritus*, v.gr. Sp. salis volatil. Sp. salis ammon. (quantæ virtutis sit hic spiritus, *Praxis Barbettiana cum Notis Deckeri* hinc inde docebit) Sp. Nit. volat. sp. Vitriol. volatilis, quem *Crollius in Basilic. Chym. p. m. 223. & seqq.* nil tale cogitans descripsit, testante *Hartmanno in Notis*, &c. vel denique sub forma *salis*, sic datur sal volatile succini &c. Ad mineralium classem præsentem *Purgantia* quoque & *Emetica* ex Mineralibus parata suo modo pertinent, v. gr. Mercurialia, Vitriolata, & Antimoniata, quorum in operando par ratio reddi potest cum purgantibus & vomitivis vegetabilibus; nam & hæc & illa sale & sulph. volatili, magis vel minus tali omninò pollent, quorum virtute majori vel minori ἄνω vel κάτω operantur. Atque sic medicamenta volatilia Trium Regnorum palmaria quædam sunt enumerata. Succedaneum his erit pergere ad Fixum Restaurativum!

§. XI. Describo *Fixum restaurativum, quod sit medicamentum texturæ compactioris & crassioris, virtute tardiore fabricæ corporis humani particularum constitutionem deperditam restituens.*

§. XII. Dicitur *Fixum restaurativum*; restaurat enim, quod in fabrica humana illegitimè est dispositum. Dicitur: *Est medicamentum*; eodem quippe machinæ humanæ, Deo benedicente, ordinariè mederi possumus. Dicitur, quod sit medicamentum *texturæ compactioris & crassioris &c.* Fixa namque medicamenta licet pleraque particulis volatilibus non sint penitus exuta, fixis tamen, quibus ceu compedibus ligantur volatiliores, prædominium obtinentibus, medicamenta fixa non immeritò texturæ compactioris & crassioris esse dicuntur, spectata præsertim in ordine ad volatiliora.

§. XIII. Dicitur tandem: *Virtute tardiore fabricæ corporis humani particularum constitutionem deperditam restituens.*

Quo-

Quoniam enim Fixa compedibus quasi constricta introeunt, in operando moram ordinariè nectunt longiorem. Nec est, quòd Medicinam universalem, Tincturam Adeptis dictam, hic obvertas, dicendo, illam esse fixissimam, & tamen penetrantissimè ac citissimè, operari. Resp. enim, Helmontio & aliis testantibus (ex mea namque mente hic nihil quicquam reponere possum.) notandum esse, medicamentum illud Tincturale tantùm illuminativè seu irradiativè agere, i. e. astralem suam virtutem in nobis deponere, tenebrosam Archei infirmitatem, vel lumen nostrum vitale per tenebras morbosas obscuratum illustrare, easdemque penetrantissimè & citissimè expellere, non verò antegressâ fermentativâ immutatione medicamenti universalis, mediante ventriculi aliarumve partium fermento factâ, morbos tollere. Hinc ab hoc medicamento fixo universali ad reliqua fixa N.V.C. Hæc enim ut agant vel incidendo, vel figendo, vel præcipitando, vel alio modo, antecedaneâ compedû solutione vel immutatione fermentativâ, seu aliâ novâ dispositione indigent, ad novum characterem Archeo seu naturæ imprimendum. Ex quo quid aliud sequi potest, quàm cætera medicamenta fixa virtute tardiori, quàm volatilia, fabricæ corporis humani particularum constitutionem deperditam restituere.

§. XIV. Ne igitur ignoretur, quibusnam medicamentis prædicatum Fixitatis competat, Fixa quædam usitatiora, non præcisè ad seriem Triplicis Regni (ut nausea præveniatur) sed ordine ac titulo singulis congruo hic subjungere non morabor. Fixorum itaque medicamentorum classi assignanda veniunt *Salia Fixa* tum Vegetabilium tum mineralium. Mineralium salia fixa (licet minus propriè salia, rectiùs verò calces seu pulveres appellentur. Vid. *Zvvelf. in Append. ad Animadv. p. 68. & seqq.*) sunt sal saturni, Jov. alumin. Gemm. Corall. &c. Salia vegetabilium Fixa sunt, præter sal Tart. sal Genistæ, absinth. arthemis. Ononid. stipit. fabar. fraxin. card. bened. centaur. min. scord. &c quæ aliàs lixiviosa seu lixiva indigitantur.

§. XV. De his salibus lixiviosis tria disquiri solent. 1.

Quomodo ſint paranda? 2. Quâ ratione in majori copia elici poſſint? 3. Num ſalia Vegetabilibus ante, quàm iisdem extrahuntur, inſint actu & formaliter, an verò ſaltim potentia ac materialiter? Ut rationem compendii habeam, ad ſingula tribus, quod dicitur, verbis reſponſum dabo. Quod primum attinet, vulgatiſſimus quidem ſalia lixiva parandi modus eſt is, quem D. *Schröderus Pharmacop. Med. Chym. lib. 2. cap. 79. p. m. 271.* & alii deſcribunt. Verùm præſtantior videtur, quem *Cl. Tachenius Hippocr. Chym. cap. 21. p. m. 169. & ſeqq.* exhibet, qui abſolvitur plantarum combuſtione & incineratione, ad particulas ſulphureo-Mercuriales abigendas, aliasque immixtas partes ſegregandas; deinde elixiviatione, ut particulæ ſalinæ à terreſtrioribus ſeparentur, & tandem coagulatione ac modica calcinatione, nec non ſolutione iteratâ in ſufficienti aquâ factâque iterum atque iterum exhalatione, ad grana ſalis ſplendentia colligenda. Secundo ut ſatisfiat quæſito, attendendum eſt, ſalia lixiva in majori copia ex vegetabilibus ratione optima elici, ſi plantæ ſint recentes, ſaporis amari, & nondum ad tempus ſeminiferum evectæ. *Vid. Excellentiſſ. Wedelii Pharmac. lib. 2. ſect. 4. cap. 4. p. m. 176.* Tertium denique ut decidatur, ſciendum eſt, pro diverſa ſalium acceptione, ſalia Vegetabilibus etiamnum miſtis, tam actu & formaliter, quàm potentiâ ac materialiter ineſſe, & non ineſſe, rectè affirmari poſſe. Nimirum ſi per ſalia intelliguntur ſalia modo ſuprà dicto parata, non actu & formaliter, ſed potentiâ ac materialiter ſaltim ſalia vegetabilibus inſunt adhuc mixtis. Si verò per ſalia intelliguntur particulæ ſalinæ, plantis nondum elicitæ, ſed hinc inde adhuc diſperſæ, partibus tamen reliquis aereis, ſulphureis ac terreſtribus contradiſtinctæ, quis quæſo ſimplicis veritatis amans, negaverit, ſalia Vegetabilibus, etiamnum miſtis, hoc ſenſu ineſſe quoque actu & formaliter?

§. XVI. Medicamentis Fixis porrò accenſenda ſunt etiam *Sulphura* Chymicorum mineralia fixa. Ut hic nihil dicam de ſulphure auri fixiſſimo, unde tot inſignes effectus illud edere dicitur, Vitrioli vel alius ſubjecti mineralis, Sulphuri arte ritè fi-

xato emunctioris naris auctores tantum tribuere solent, ut illud summæ virtutis anodynæ esse, neutiquam dubitent, ejus tamen præparationem vel prorsus subticeant, vel obscurè saltim insinuent, vel aliorum processus rejiciendo ac reformando obscuriùs proponant. An verò *Clariss. Hoffmannus* rei huic lucis aliquid sit fœneratus, quando verum ac genuinum Archei sedativum acquiri asserit, si Sulphur Vitrioli martiale, quod *Clariss. Zvvelferus in mantiss. Spagyr. part. 1. cap. 3. p. 339.* describit, depuratissimum sumatur, & porrò ad summam maturitatem beneficio alcoolis vini excoquatur, alii Chymiæ cultores assidui examinatum eant. *Vid. ipsa Clavis Pharmaceut. Schroderiana lib. 3. §. CXXI. p. m. 364.*

§. XVII. Fixorum medicamentorum ordini non minus inserenda sunt alia, & quidem vel *nativa*, v. g. *lapides* vulgares, ut sunt silex, lapis nephriticus, alabastrum, lapis judaicus &c. ut & pretiosi, sunt v. g. hyacinthus, rubinus, smaragdus granatus &c. pertinent huc *Terræ* officinales, e. g. Terra Lemnia, sigillata, Silesiaca, Bolus Armena, creta &c. Vel *Factitia* Chymica, & quidem in *forma sicca*, ut sint cinnabaris fact. Turphetum minerale, Bezoarticum Minerale, Antim. diaph. Crocus Martis aperitivus, cujus agendi ratio videtur absorptoria esse, perinde ut Spiritus Vitrioli vel aq. fort. Marti affusa particulas acidas infringit, hinc saturatur & dulcescit; cremor Tart. lapis prunellæ, Tart. chalyb. Vitriolatus &c. Quæ omnia si ritè applicantur, aliisve pro re nata alterantibus & corroborantibus &c. prudenter constipentur, effectum arcanis quorundam, promiscuè & empiricè saltim adhibitis, vix inferiorem progignunt. Quicquid etiam recentior nonnemo *anonymus in Tractat. sub tit. lapid. Philos.* alto supercilio effutiat, ac si in specie Antimom. diaphoreticum officinarum efficacia à C. C. usto non differat, & utrumque igne violento sit destructum, & nil nisi calx mortua; cui tamen insuper clamanti: *Ut mineralia intrò ad penitiora transmittantur, opus est vel liquore Alcahest, vel sale circulato majore aut minore?* Quotidiana, inquam, experientia, optima omnium rerum magistra, reclamat & testatur, Antim. diaphoreticum consueto

Chymicorum modo præparatum h.e. ita ut impuritas ac volatilitas indomita ritè separetur ac coerceatur, præter alcalicam in Bezoardicam quoque abiisse naturam, quod de C. C. usto quoque suo modo pronunciandum. Sed hoc obiter! In *forma liquida* ejus generis Fixa medicamenta dantur sub denominatione *Spiritus*, *Tinctura &c.* Sic datur sp. Alum. Nit. simpl. Vitriol. simpl. salis simpl. &c. sp & Tinctur. Tart. vulg. Tinctur. Chalyb. &c. quorum præparationes Auctores in suis Pharmaciis ac systematibus Chymicis passim inculcant, qui consulantur.

§. XVIII. Cujuslibet autem sensui & arbitrio integrum esto, ad quamnam classem, Volatiliumne an Fixorum, an verò cum quibusdam non infimi subsellii Scriptoribus ad peculiarem catalogum, Enixorum seu mediorum videlicet, referre velit Officinalia illa, quæ igne vel nihil vel parùm sunt tractata, ut sunt Gummata & resinæ, cornua, ossa, crustacea, Testacea, excrementa in medicina usitatiora, Ungulæ, Succi concreti & saccharaci, Conservæ radicum, herbarum & florum, Condita, Extracta spissa, Opiata, Rob, Looch, & alia præparata vel non præparata? Certum est, Medicinalia illa, quæ ex animalibus sunt desumta, ut sunt Lap. Bezoar. Ocul. cancr. lapid. carpionum, percarum, mandibulæ lucii piscis, Cornu cervi, Unicornu, Ebur, &c. sale volatili utique pollere. Attamen & luce meridianâ clarius est, medicamentis ejusmodi particulas quasdam terrestriores fixioresque etiam intertextas esse. Unde vi prioris asserti ad volatilium, posterioris verò ad Fixorum classem essent transponenda. Quapropter talismodi medicamenta non ineptè Enixa vel quasi Fixa denominantur; quorum tamen penetralia intimius pervestigare ratio compendii hac vice non permittit. Properandum potiùs erit ad regulas curationis seu applicationis, sub initium capitis hujus scopo conformiter promissas.

§. XIX. Sanè si ex Hippocratis oraculo hîc pronunciandum foret, tota curationis methodus unicâ h. l. absolvi posset regula hac universali: *Contraria contrariis curentur!* Et hoc pacto Volatili destructivo Fixum restaurativum, & Fixo destructi-

vo Volatile reftaurativum faltim opponendum effet. Verùm enim verò cùm praxis Medica in hoc negotio toto quoque die affentiatur illi Hermeticorum effato: *Similia fimilibus curantur!* Hic loci diftincti canones erunt formandi; quanquam in omni curationis legitimè inftituto actu utrumque femper elogium verificetur. Dum enim remedium ægro fubminiftratur, ipfius Archeo feu balfamo naturali, per morbum fuppreffo, *fimile* ad roborandum vel fublevandum, & vitio *contrarium* quippiam ad removendum porrigitur. Hinc fuper has duas Maximas nonnulli fruftrà digladiantur, cùm bella fit concordia, fi tempeftiva & confonâ interpretatione conciliatur diffidium. Vid. *Crollii Bafilic. Chimic. præfat. admonitor. p. m. 116.* Utinam cæteræ opiniones medicorum difcrepantes omnes tàm facili labore componi poffent, ficuti in benè multis poffent, nifi plurimi rigidiores, quàm par eft, hic fe præberent! Vid. *Ammanni Medicin. crit. præfat. de fyncretifm. Medic.* lectu digniffimam.

§. XX. Sed ut ad rem ipfam acceffum faciam, fuppofitis, ficubi opus eft, univerfalibus & Diæteticis, primò *in affectibus à Volatili deftructivo* defcendentibus fequentes tres curationis regulæ veniunt annotandæ (1) *Morbis à Volatili deftructivo oriundis rectè contraveniunt remedia fixa, abfolute & pure talia.* Sic v. gr. in Febribus malignis (quarum caufam fal volatile acre effe non folùm *accutiff. Sylvius Ide. prax. med. lib. 1. cap. 33. p. m. 565. & feq. item lib. 4. Tr. 2. p. m. 166. & feqq.* Sed etiam *Excellentiff. D. Præfes in Colleg. Pract. MScr.* non fine ratione afferit) benè adhibentur fp. Nit. fimpl. fp. Vitrioli fimpl. juftâ tamen obfervata dofi. Item *Terrea* v. g. Ter. figillat. Bol. Armen. Terr. Lemn. Turc. &c Corall. rubr. Sulphura metallica & mineralia ritè parata; item cinnab. Antim. Antimon. diaphoret. Bezoard. mineral. &c. Hæc omnia ex vehiculo appropriata, vel cum potu ordinario in tempore & legitimè adminiftrata multum præftare poffunt.

§. XXI. (2) *In Affectibus ex Volatili deftructivo pendentibus etiam pura Volatilia funt proficua.* V. g. Epilepfiæ caufam in acido volatili, fpiritus animales vellicante, interrumpente, & cum

cum impetu commovente, consistere, res ipsa loqui videtur. Hinc *Spectatissimus Dn. Præses in Prax. Chymiatr. sect. 1. cap. 5. p. m.* 36. cum Hermeticis Mercurium Vitriolatis vaporibus imprægnatum, & cum spiritu sublimatum non immeritò accusat. Medicamenta autem pleraque antepileptica sunt sale Volatili, simul tamen fixante, referta, e. g. Essentia castorei, sp. cerebri humani, sp. & sal cranii human. sp. & sal volatil. C. C. sp. salis ammon. radix & semen pœoniæ, Valerianæ &c. Viscus quernum, ut & in tilia vel corylo natum, ungula alcis &c. Quæ per se & purè saltim spectata Volatili restaurativo abundè constare nemo sanioris mentis inficias ibit.

§. XXII. (3) *Morbis Volatilioribus quoque suppetias ferre possunt remedia ex Volatili, Fixo, & Enixo prudenter conjuncta.* Et quidem sub varia Formula pro placito Medici vel ægri, cujus nonnunquam est habenda ratio, ne medicamenta ipsius palato adversa abhorreat. Sic e. g. in Ictero, qui proximè à spiritu valdè volatili, Bili copiosius admixto, & spirituosiorem eandem reddente, est derivandus, ex Volatilibus, Fixis & Enixis concinnata commodè exhibentur, v. gr. ex sale C. C. volatil. sp. salis ammon. Antimon. diaphoret. Bezoard. Min. Tartar. Vitriolat. Semin. Eruc. &c.

§. XXIII. Pergo ad regulas *in affectibus à Fixo destructivo*, item *ab enixo* (quod obiter saltim) originem trahentibus. De quibus itidem tres sequentes formo: (1) *Affectibus à fixo destructivo productis pura Volatilia cum fructu non rarò opponuntur.* Sive enim sanguis, sive Bilis, sive pituita, sive lympha, saliva, & reliqui Humores inertes, viscidi, tartarei ac tenaces, hincque fixiores evadant, sive Spiritus torpidiores existant, sanè salia volatilia, præprimis oleosa, incomparabilis ferè sunt usus. Salia namque Volatilia insignem vim habent viscidum, tenax, torpidum solvendi, eidemque naturalem motum reconciliandi, v. gr. sal volatile Tart. succin. urin. lumbricor, sal volatil. C. C. &c. sp. lilior. convall. Ol. carv. anisi, majoran. &c. Huc pertinet sal

volatile plantarum aromaticarum acrius, v.g. cochlear. naſturt. &c. quæ vehicula appropriatis ſunt haurienda.

§. XXIV. (2.) *Morbis ex Fixo præternaturali ortis medicamenta quoque purè Fixa conducere praxis teſtatur quotidiana.* Sic v. g. in Affectione Hypochondriacâ præter Volatilia commodè etiam Fixa applicantur medicamenta, ut ſunt Sal abſinth. fraxin. tamariſc. &c. item Martialia e. g. limatura Martis in ſubſtantiâ ſumta, crocus Martis aperitivus; nec non *Terrea*, v. g. Bolus Arm. Terræ ſigillatæ, creta ppr. C. C. philoſ. ppr. &c. quando nimirum acidum ſtagnans & auſterum melancholicum eſt abſorbendum. Imò interdum etiam ipſa acida fixa aliquid contribuunt, v. g. ſp. ſalis, Nitri ſimpl. &c. imprimis quando limoſitas tartarea ſeu pituita tenax & viſcida eſt incidenda & attenuanda.

§. XXV. (3.) *Medicamenta ex Volatili, Fixo, & Enixo compoſita contra morbos fixos, uti & enixos, amicabili ſocietate junguntur.* De morborum enixorum curâ verum eſt effatum ſuffragante *accuratiſſ. Sylv. lde. prax. med. lib. 3. c. 7 p. m. 315. & ſeq. & cap. 8. p. m. 332. & ſeq.* quæ loca legi merentur. Affectus merè fixos quod attinet, aſſertum ſtatuminabo exemplo Scorbuti; qui morbus, licèt ob particulas craſſiores ac fixiores, quibus præ cœteris natalia debet, Volatilium uſum ac neceſſitatem quàm maximè efflagitet, nullis remediis æquè cedens, ac ſalibus volatilibus, Fixa tamen & Enixa non minùs admittit pro re natâ confuſa, ſeu Volatilibus maritata, v. g. Aq. cochlear. petroſelin. Acet. deſtillat. Tinctur Cinam. ſp. Salis ammoniac. Theriacal. Cort. citr. condit. Syrup. cochlear. fumar. &c. Plura hanc in rem addere ſuperſedeo, ne in alienum tractationis genus deſcenſus hic loci committatur.

§. XXVI. Memor autem triti iſtius: *Nulla regula eſt tàm firma, qua non patiatur exceptionem!* Verbo ſaltim monendum eſſe duco, cautelas circa *Reſtaurativi Volatilis & Fixi* applicationem non in poſtremis eſſe habendas. Ne ſim operoſus, duas haſce cautiones generales (ſpeciales enim aſſidua Scriptorum Practicorum evolutio ſuggeret) auctarii inſtar apponam: (1.) *Affectus Volatiles curando ne nimiùm figas!* Vigor namque Humorum, & ſanguinis

guinis motus naturalis probè ſemper eſt attendendus; aliâs facilis ex uno extremo in alterum dabitur lapſus. (2.) *In morbis fixioribus tollendis Volatilium uſu ne mediocritatis limites excedat!* Abuſus enim Volatilium ſanguinis compagem nimis laxam reddit; unde ſanguis juſto fluidior factus conſiſtentiam facilè amittit debitam, ſpiritusque diſpereunt quaſi & diffluunt, præſertim ſi perpetuis ſudoribus, intempeſtivisque purgationibus, neglectis tonicis, ægri ſimul exhauriuntur. Confer. *acutiſſ. Wedelii Tract. de Medicam. Facult. lib. 1. ſect. 3. cap. 5. p. m. 96.* Item *Clariſſ. Frid. Hoffmanni Clav. Pharmaceut. Schröderian. lib. 5. Sect. 1. p. m. 667. & ſeqq.* Hîc igitur Diſputationis hujus Inauguralis terminus eſto! Faxit Deus T. O. M. Supremus Medicinæ Auctor & Diſpenſator, ut omnia, quæ hactenus à me ſunt propoſita, vergant in Numinis Divini gloriam, proximi, præprimis ægri ſolamen ac refectionem, nec non meam Meorumque tùm temporalem tùm æternam ſalutem!